

rum Regularium totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ac dilectum filium modernum Procuratorem. Generalem dicti Ordinis specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

Prohibet prout in Rubr.

§.2. Ne de cetero quisquam quavis auctoritate fungens libros, quinterna, folia, sive impressa, sive manuscripta, tam habentis dictis Bibliothecis donata, & assignata, quam imposterum per quoscumque Christianos donanda, & assignanda, sub quovis pretextu, ingenio, causa, colore, ratione, aut occasione, e dictis Bibliothecis, seu earum aliqua extrahere, seu asportare, aut ut extrahantur, seu asportentur permittere, aut consentire, sub excommunicationis, ac privationis vocis activae, & passivae poenis per contrafacientes, eo ipso incurrendis, apostolica auctoritate tenore presentium interdicimus, & prohibemus.

Contrariis derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Dolorum, & Ordinis praedictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§.4. Volumus autem, quod presentis prohibitionis copia in valvis cujuslibet dictarum Bibliothecarum, aut aliquo alio perspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuo affixa remaneat; Quodque presentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus ubique fides etiam impressis adhibeatur, quae adhiberetur presentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum die 6. Februarii 1643. An. XX.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 6. Februarii 1643. Pontificatus nostri anno XX.

Mandatur, in Ecclesiis Fratrum Discalceatorum Sancti Francisci Provinciae Sancti Gabrielis circa Sepulturam Defunctorum servanda esse Clementinam secundam, & Decreta Congregationum Rituum, Concilii, ac Episcoporum, & Regularium.

Ex Rego in Secret. brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam:

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Gundisalvus de Sanctis Procurator, & filius Provinciae Sancti Gabrielis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Discalceatorum nuncupatae Hispaniarum, quod Priores, Vicarii, Provifores, Parochialium Ecclesiarum Rectores, & Beneficiati Civitatum, Oppidorum, Locorum, & Villarum de Llerena fuente de Cantos, Xerez, Valentiae, de Alcantara, Brocas Serena, & Merida consentientium intra fines Praeceptoriarum, seu Commendarum, alias Magistragiorum, de Alcantara, & Sancti Jacobi de Spatha Militiarum, ratione Conventuum dictae Provinciae Ordinis hujusmodi fundatorum in Ecclesiis, Haeremitoriiis nuncupatis, quae prius erant jurisdictionis ipsarum militiarum, seu Praeceptoriarum, vel Commendarum hujusmodi, Fratres Discalceatos eorumdem Conventuum in suis Ecclesiis Cadavera Defunctorum, sibi sepulturam inibi eligentium, sepelire minime posse, quodque ipsi Priores, Vicarii, aliique praefati, cum ad Ecclesias eorumdem Fratrum Discalceatorum occasione funerum accedunt, seles eosdem Fratres Discalceatos praecedere, officiaque mortuorum super ipsorum Cadaveribus obire debere pretendunt, nedum contra formam Juris, & Literarum Apostolicarum in simili forma Brevis, variarumque declarationum, & Decretorum a Congregationibus Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum, ac negotiis Episcoporum, & Regularium, Sacrifque Ritibus praepositorum respective emanatorum, sed etiam contra casum legis de Jure sepeliendi, ac Sacros Canones, cum per Clementinam secundam de Sepulturis, detur facultas Fratribus dicti Ordinis Sancti Francisci Cadavera Defunctorum Sepulturam sibi in eorum Ecclesiis eligentium sepeliendi. Quoniam vero sicut eadem expositio subjungebat Priores, Vicarii, Provifores, Curati, & Beneficiati hujusmodi pro suis mero arbitrio, & voluntate, declarationes, & Decreta hujusmodi nullatenus observant, sed cum non levi secularium scandalo, & offendiculo ipsos Fratres Discalceatos, qui ob eorum paupertatem, & arctioris Regulae observantiam litium, & questionum materias, & occasiones diffugiunt in praemissis gravant, necnon etiam quando visitatum eunt suas Eccle-

Causae faciendi Decreti.

Ecclesias, pretendunt, se posse etiam visitare Ecclesias ipsorum Fratrum Discalceatorum, necnon Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sub pretextu, quod ipse fundatae sint in Ecclesiis Haeremitoriiis hujusmodi Locorum, Villarum, Oppidorum, & Civitatum praefatarum, quae prius, ut praefertur, jurisdictionis ipsorum de Alcantara, & Sancti Jacobi de Spatha militiarum Ordinum hujusmodi erant, non sine notabili gravamine, & praedictio dicti Ordinis, & contra formam Privilegiorum illi a tot summis, & Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris concessorum, ac demum quando praemissa peragere ab ipsis Fratribus Discalceatis non permittuntur, eosdem Fratres Discalceatos diversimode molestant etiam per verbi Dei praedicationem, administrationem Sacramenti poenitentiae, & eleemosynarum privationem: Nobis propterea idem Gundisalvus dictae Provinciae nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, de benignitate apostolica dignemur.

Decretum, de quo in Rubr.

§.2. Nos igitur, qui Religiosorum Ordinum quorumcumque felicem directionem sinceris desideramus affectibus, eorumdem Fratrum Discalceatorum dictae Provinciae indemnitati, ac commodis quantum cum Domino possumus prospicere, illosque specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus, licet Conventus eorumdem Fratrum Discalceatorum dictae Provinciae Sancti Gabrielis fundati forent in Ecclesiis Haeremitoriiis nuncupatis, quae prius erant jurisdictionis ipsorum de Alcantara, & Sancti Jacobi de Spatha militiarum Ordinum hujusmodi, ut praefertur, praefata Clementina secunda, ac eorumdem Cardinalium declarationes, & Decreta praemissorum occasione in dictis Conventibus, & tota Provincia hujusmodi observentur, observarique debeant, ipsique Priores, Vicarii, Provifores, Parochialium Ecclesiarum Rectores, Beneficiati Civitatum, Oppidorum, Locorum, & Villarum hujusmodi, Ecclesias eorumdem Fratrum Discalceatorum dictae Provinciae, & Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sub pretextu, quod Ecclesiae hujusmodi in dictis Haeremitoriiis fundatae sint, ut praefertur, visitare, nec easdem Ecclesias ingredi, & inibi aliquem jurisdictionis actum exercere ullatenus umquam possint, nec debeant, apostolica auctoritate tenore presentium concedimus, statuimus, & ordinamus, eisdemque Prioribus, Vica-

riis, Proviforibus, Curatis, & Beneficiatis hujusmodi perpetuum desuper silentium imponimus.

Clausula.

§.3. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, ut eosdem Fratres Discalceatos praemissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere sinant, & faciant, nec eos desuper a quoquam quavis auctoritate fungente molestari, perturbari, impediri, vel inquietari ullatenus permittant; ac decernentes presentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Fratribus Discalceatis plenissime in omnibus, & per omnia suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicae Nuncios sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scierit, vel ignoranter contigerit attentari.

Nuncios Apostolicos ex officio deputatos.

§.4. Quocirca dilecto filio moderno, & pro tempore existenti nostro, & ejusdem Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per presentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios presentes literas, & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum desuper fuerit requisitus solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praedidio assistens faciat auctoritate nostra easdem presentes, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos easdem presentes concernunt, illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos, vel eorum aliquem contra presentium earundem tenorem quomodolibet indebitum molestari; contraditores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimifque super habendis servatis processibus, sententias, censuras, & poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogatio.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciae, ipsarumque Militiarum, & Ecclesiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indi-

individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut presentium &c.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 7. Februarii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXL.

Ex Reg. in Secretis Brev. Subrogat Archiepiscopum Cameracen., ac Audomaren., & Ipren. Episcopos, & quemlibet ipsorum in locum Ordinarium in Anglia ad effectum tantummodo auctoritate ordinaria legitime instituenti processum super causa, & genere Mortis eorum, qui pro Fide Catholica in Anglia patiuntur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Substitutio, de qua in Rubr. §. 1. **P**lis dilecti filii Procuratoris Generalis Congregationis Angliae Ordinis S. Benedicti votis annuere, illumque specialis favore gratiae prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eiusdem Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica christiana contra hereticam pravitatem Inquisitorum Generalium ab hac S. Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, Ven. Fratres Archiepiscopum Cameracen., ac Audomaren., & Ipren. Episcopos, & quemlibet ipsorum apostolica auctoritate, tenore presentium subrogamus in locum Ordinarium in Anglia, ad effectum tantummodo auctoritate ordinaria legitime instituenti processum super causa, & genere mortis eorum, qui pro fide catholica in Anglia patiuntur, itaut huiusmodi processus, aliaque acta ab illis, seu quolibet ipsorum legitime confecta ad dictas passionis, & mortes verificandas fiant auctoritate ordinaria, nec aliter, nec alio modo, irritum, & inane decernentes quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarium derogatio. §. 2. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel. rec. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris

nostri de una, & Concilli Generalis de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 23. Februarii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXLI

Declaratio circa facultatem dispensandi cum Regularibus super voto de non procuranda, nec acceptanda dignitate extra Religionem.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Honorum, dignitatumque vana ambitio adeo quorundam Regularium mentes interdum excaecat, ut ab eo, quod abnegantes semetipsos sponte voverunt, postmodum inanis gloriae cupiditate ducti resistere conentur, cum tamen dicat Propheta: *Vovete, & reddite vota vestra Deo.*

§. 1. Quamvis igitur, ut accepimus, tam Fratres Discalceati S. Augustini, & B. M. de Monte Carmelo, etiam discalceati Ordinum, quam Clerici Regulares ministrantes infirmis respective nuncupati, & nonnulli aliorum Ordinum, seu Congregationum Regulares, etiam Societatis Jesu, & alii Regulares, etiam individua, expressionem requirentes, aut in ipsa professione una cum tribus essentialibus votis, paupertatis scilicet, castitatis, & obedientiae, aut ante, vel post professionem praedictam, sive solemne, sive, ut dicunt, simplex votum, in manibus tamen Superioris regularis emittant de non procurando, nec acceptando aliquam dignitatem, seu Praelationem, vel Praelaturam extra Religionem, nisi coacti, vel adstricti fuerint praeepto eius, qui sibi jure praecipere potest, & aliqui addant, etiam illa verba, videlicet, sub poena peccati, juxta formam suarum Constitutionum a Sede Apostolica confirmatarum, nihilominus aliqui ex ipsis Regularibus, etiam translati ad Ordines Regularium, etiam Mendicantium, qui praedictum, aut simile votum non emittunt, retro aspicientes, emissive a se voti huiusmodi immemores, Praelationes, seu Praelaturas, vel dignitates ambiunt, imo etiam Episcopatus, majorumque dignitatum solum conscendere moluntur, praetendentes, quod suis Superioribus regularibus, praesertimque Generalibus liceat eis praecipere, ut dignitatem, Praelationem, seu Praelaturam, vel Episcopatum, majoremve dignitatem extra Religionem acceptent, aut ipsum votum relaxare, & cum ipsis desuper dispensare, licet per praeepta, & dispensationes huiusmodi ipsi ab obedientia praecipiente, seu dispensanti debita eximantur, ac etiam si vota praedicta, tamquam emissiva in mani-

Datum die 21. Februarii 1643. An. XX.

Exordium.

Nonnullorum Regularium ambitus exponitur

bus superioris regularis dicantur solemnia, vel saltem efficaciam voti solemnitis habeant, regulariumque Ordinum, & Congregationum, ac Societatis huiusmodi Constitutiones sint confirmatae auctoritate apostolica, & cum decreto irritante, a quo propterea manus quorumcumque inferiorum ligatae existunt.

Quem retunde, de vult Pontif. hac sua Const.

§. 2. Quapropter Nos ambitum hunc retundere, & praetensionem huiusmodi excludere, ac etiam omnem dubitationem super praemissorum interpretatione a nonnullis excitata apostolica declarationis auctoritate penitus tollere volentes, Motu proprio, certa que scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine; hac perpetua nostra Constitutione declaramus super praed. voto, etiam per translato ad Ordinem, seu Congregationem regularem capacem, ante translationem emissiva de non procuranda, nec acceptanda extra quemlibet ex ipsis Ordinibus, seu Congregationibus Regularibus, aut Societate praedicta respective aliqua dignitate, seu Praelatione, vel Praelatura, sive aliquo Episcopatu, aut majori dignitate neminem Superiorem Regularem, etiam Generalem, aut Capitulum, seu Congregationem generalem, nec etiam Nuncium Apostolicum, aut praedictorum Ordinum, seu Congregationum Protectorem, etiam S. R. E. Cardinalem, nec etiam Legatum Sedis Apostolicae, etiam de Latere, nec quemlibet alium, etiam specialem, & individua mentione dignum, sed tantummodo Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem posse dispensare, taleque votum relaxare, aut adversus illud aliquam licentiam, vel indultum concedere, aut aliquod praeeptum procurandi, seu acceptandi, vel aliud simile ipsis Regularibus voverentibus facere, cuius vigore praedicti Religiosi illas, & illos procurare, vel acceptare possint, aut teneantur, ac alias quomodolibet voverentes praedictos a praedicto voto liberare. Pro ut pariter declaramus, quascumque facultates generales dispensandi super quibuscumque votis, seu illa relaxandi, aut commutandi, vel adversus illa praecipienda, aut alias quomodolibet voverentes habilitandi, etiam in foro conscientiae dumtaxat, sive per dictas Constitutiones a Sede Apostolica confirmatas, sive per literas etiam in forma Brevis Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, aut nostras, vel Successorum nostrorum, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, etiam concistorialiter, etiam ad supplicationem, seu contemplationem quorumcumque, etiam Imperatoris, Regum, & Principum, seu Reipublicarum, ac praedictorum Ordinum, Congregationum, & Societatis, aut vigore cuiuscumque Jubilai, etiam universalis, vel Cruciatu Sanctae, aut Sanctae Inquisitionis, seu missionum, & alias quovis modo, & ex quacumque causa, quantumlibet

Rom Pontifex dimittat potest dispensare aut relaxare votum, de quo in Rubr.

pia, favorabili, publica, & privilegiata, concessa, & emanata, concedendaque, & emananda, nuncque, ac pro tempore competentes ad praemissa omnia, & singula nullatenus se extendere intelligantur, sed esse Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris dumtaxat reservata, prout tenore presentium decernimus, & reservamus.

§. 3. Decernentes quoque easdem praesentes literas, etiam ex eo quod praedicti Regulares, & alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, illis non confenserint, nec ad id vocati, citati, & auditi, causaque, propter quas illae emanarunt, sufficienter, aut etiam nullatenus adducta, seu probata fuerint, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostra, aut alio quopiam defectu, vel ex quacumque alia causa, occasione, praetextu, colore, & capite notari, impugnari, rescindi, in jus, vel controversiam revocari nunquam posse, sed easdem praesentes literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & inviolabiliter observari.

§. 4. Sicque, & non aliter in praemissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, & quovis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & desiniri debere; irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, ac quatenus foret opus, nostra, & Cancellariae Apostolicae regula de jure quesito non tollendo, nec non quorumvis Ordinum, & Congregationum Regularium, dictaque Societatis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Liter. Apost. eiusdem Ordinibus, Congregationibus, & Societati, illorumque Superioribus, Fratribus, Clericis, & personis, ac generaliter quibusvis aliis, etiam individua mentionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum

Clausulas praeservativas apte ponit.

Clausula sublata.

Contrarium derogat.

non autem per clausulas general es, idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & infererentur presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanfuris, ad premissorum effectum dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Presumptoria fieri.

§.6. Volumus autem, ut presentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persone alicujus in dignitate ecclesiastica constitute munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, qua presentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum die 24. Februarii 1643. An. XX.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 24. Febr. 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXLII.

Quod Fratres Discalceati Ordinis Regularis Observantiae S. Francisci in Regno Hispaniae, non possint commorari in aedibus secularium.

De hujusmodi Fratribus Discalceatis quamplura notavi in Const. CCCXXXI. Regis pacifici. Tom. VI. Par. I. fol. 221.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Pastoralis officii Nobis divinitus injuncti assidua sollicitudo Nos admonet, ut omni cura, & vigilantia ad ea semper intendamus, per quae regularium personarum, quae relicto seculo divini Numinis obsequiis sese dedicarunt, quieti consulantur, & quae religiosum earum propositum possunt impedire, removeantur, ut nulla re prepedite secundum regularia suorum Ordinum instituta tranquillis mentibus grati Altissimi impendere valeant famulatum.

Motiva.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupat. Provinciarum Hispaniarum a nonnullis annis citra, extra claustra suorum domorum regularium continuo commorati fuerint, & commorentur, convivantque, & pernoscant in aedibus secularium, non sine ipsorum secularium, & religiosorum earundem Provinciarum, malo exemplo, & offendiculo, disciplinaeque, & observantiae regularium perturbatione, detrimento, & relaxatione. Idcirco Nos praemissis, quantum cum Domino possumus, prospectum esse cupientes, motu proprio, & ex certa scientia, matureque deliberatione nostris, deque apostolica potestate plenitudine.

Prescript. prout in Rubric.

§.2. Quod omnes, & singuli Fratres Discalceati dicti Ordinis Provinciarum Hispaniarum hujusmodi, qui extra suas domos regulares commorantur, convivunt,

& pernoscant in aedibus secularium, ut praefertur, cujuscumque status, gradus, qualitatis, & conditionis existant, etiam si desuper quaecumque particularia licentias, & privilegia sibi aliis a Sede Apostolica, vel ab ipsius Ordinis Ministris generalibus concedi obtinuerint, & obtineant, infra octiduum a presentium nostrarum Literarum notificatione sibi facienda, coram Ministris Provincialibus earundem Provinciarum sese sistere, & comparere debeant, ut ab eisdem Ministris Provincialibus Conventus, in quibus degant, & habitent, sibi assignentur, sub inobedientiae, & excommunicationis, necnon privationis antianitatis habitus, ac suffragiorum, & Missarum pro Fratribus Discalceatis Ordinis hujusmodi celebrari solitarium poenis eo ipso, & absque ulla alia declaratione incurrendis, earundem tenore presentium statuimus, & ordinamus.

Decretum irritans.

§.3. Mandantes propterea eisdem Ministris Provincialibus Provinciarum hujusmodi in virtute sanctae obedientiae, ac sub eisdem poenis, ut easdem presentes literas nostras debite, & omnimoda executioni demandari, & ab omnibus, & singulis, quos illa concernunt, inviolabiliter, & inconcussae observari curent, & faciant, ac decernentes irritum, & inane, si quid fecerit super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinibus, & Provincialium hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgitiis, & literis apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanfuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandata.

§.5. Volumus autem, ut presentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persone in dignitate ecclesiastica constituta munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, qua presentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Da.

Datum die 27. Februarii 1643. An. XX.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 27. Februarii 1643. Pontificatus nostri Anno vigesimo.

DCCXLIII.

Pro Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae Discalceatorum Provinciarum, Ecclesiarum, & Conventuum Hispaniarum, circa Visitationem, Praecedentiam, & Sepulturam defunctorum.

De hac materia vide supr. Const. DCCXVIII. Ex incumbenti fol. 85. & Const. DLIX. Nuper fol. 127. & Const. DCCXXX. Alias hujus Pont.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Petito.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Paulus a Matrino filius Provinciae S. Josephi Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum Commissarius Terrae Sanctae, ac nonnullarum Provinciarum Hispaniarum eorumdem Fratrum Discalceatorum Procurator, quod nuper a Nobis pro Provincia S. Gabrielis Fratrum Discalceatorum praedictorum, etiam Hispaniarum emanarunt litera tenoris sequentis, videlicet. Urbanus VIII. ad perpetuam rei memoriam.

Referuntur Urbani Literae quibus constituitur Juribus Observantiam in tumulatione eadaverum, ut quoad praecedentiam.

§.2. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Gundisalvus de Sanctis Procurator, & filius Provinciae S. Gabrielis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum Hispaniarum, quod Priores, Vicarii, Provisores, Parochialium Ecclesiarum Rectores, ac Beneficiati Civitatum, Oppidorum, Locorum, & Villarum de Herrera, Fuente de Cantos, Xerez, Valentia de Alcantara, Brojas, Serena, & Merida, consistentium intra fines Praeceptoriarum, seu Commendarum, alias Magistrariorum de Alcantara, & S. Jacobi de Spatha Militiarum, ratione Conventuum dictae Provinciae Ordinis hujusmodi fundatorum in Ecclesiis Heremitarum nuncupatis, quae prius erant jurisdictionis ipsarum Militiarum, seu Praeceptoriarum, vel Commendarum hujusmodi, Fratres Discalceatos eorumdem Conventuum in suis Ecclesiis cadavera defunctorum, sibi sepulturam inibi eligentium, sepeliri minime posse, quodque ipsi Priores, Vicarii, alique praefati, cum ad Ecclesias eorumdem Fratrum Discalceatorum occasione funerum accederent, sese eosdem Fratres Discalceatos praecedere, officiaque Mortuorum super ipsorum cadaveribus obire debere praetendunt, nedum contra formam juris, & literarum apostolicarum in simili forma Brevis, variarumque declarationum, & decretorum a Congregationibus Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacri Concilii Tridentinae, Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

tini Interpretum, ac negotiis Episcoporum, & Regularium, sacrisque Ritibus praepositorum respective emanatorum, sed etiam contra casum legis de jure sepeliendi, ac Sacros Canones; cum per Clementinam secundam de sepulturis detur facultas Fratribus dicti Ordinis S. Francisci cadavera defunctorum sibi in eorum Ecclesiis sepulturam eligentium sepeliendi.

Atque etiam quoad visitationem ecclesiarum.

§.3. Quoniam vero, sicut eadem expolito subjungebat Priores, Vicarii, Provisores, Curati, & Beneficiati hujusmodi pro suis mero arbitrio, & voluntate declarationes, & decreta hujusmodi nullatenus observant, sed cum non levi secularium scandalo, & offendiculo ipsos Fratres Discalceatos, qui ob eorum paupertatem, & arctioris regulae observantiam, litium, & questionum materias, & occasionem diffugiunt, in praemissis gravant, necnon quando etiam visitatum eunt suas Ecclesias, praetendunt, se posse etiam visitare Ecclesias ipsorum Fratrum Discalceatorum, necnon Sanctissimum Euchariisticum Sacramentum, sub praetextu, quod ipsae fundatae sint in Ecclesiis Heremitarum hujusmodi locorum, Villarum, Oppidorum, & Civitatum praedictorum, quae prius, ut praefertur, jurisdictionis ipsorum de Alcantara, & S. Jacobi de Sphata Militiarum hujusmodi Ordinum erant, non sine notabili gravamine, & praedicti Ordinis, contra formam privilegiorum, illi a tot summis, & Romanis Pontificibus Praecessoribus nostris concessorum, ac demum quando praemissa peragere ab ipsis Fratribus Discalceatis non permittuntur, eosdem Fratres Discalceatos diversimode molestant, etiam per verbi Dei praedicationum, administrationis Sacramenti Poenitentiae, & eleemosynarum privationem.

§.4. Nobis propterea idem Gundisalvus dictae Provinciae nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Religiosorum Ordinum quorumcumque felicem directionem sinceris desideramus affectibus, eorumdem Fratrum Discalceatorum dictae Provinciae indemnitati, ac commodis, quantum cum Domino possumus, prospicere, illosque specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati.

Mandatum de servandis Clementinae II. & Constitutionibus Apostolicis.

§.5. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus, licet Conventus eorumdem Fratrum Discalceatorum dictae Provinciae S. Gabrielis fundati forent in Ecclesiis Heremitarum nuncupatis, quae prius erant jurisdictioni ipsarum de Alcantara, & S. Jacobi.

A a a cobi

cobi de Spatha Militarum Ordinum hujusmodi, ut praefertur, praefata Clementina secunda, ac eorumdem Cardinalium declarationes, & decreta praemissorum occasione in dictis Conventibus, & tota Provincia hujusmodi observentur, observarique debeant. ipsique Priores, Vicarii, & Provifores. Parochialium Ecclesiarum Rectores, & Beneficiati, Civitatum, Oppidorum, Locorum, & Villarum hujusmodi, Ecclesias eorumdem Fratrum Discalceatorum dictae Provinciae, & Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sub praetextu, quo Ecclesiae hujusmodi in dictis Heremitoriis fundatae sunt, ut praefertur, visitare, nec easdem Ecclesias ingredi, & inibi aliquem jurisdictionis actum exercere ullatenus umquam possint, & apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus, statuimus, & ordinamus, eisdemque Prioribus, Vicariis, Proviforibus, Curatis, & Beneficiatis hujusmodi perpetuum desuper silentium imponimus.

Exequutoria deputatio.

§.6. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, ut eosdem Fratres Discalceatos praemissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere sinant, & faciant, nec eos desuper a quoquam quavis auctoritate fungente molestari, perturbari, impediri, vel inquietari ullatenus permittant; ac decernentes praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, distisque Fratribus Discalceatis plenissime in omnibus, & per omnia suffragari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Exequutoria deputatio.

§.7. Quocirca dilecto filio moderno, & pro tempore existenti nostro, & ejusdem Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per praesentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios praesentes literas, & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra easdem praesentes, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos eadem praesentes concernunt, illis pacifice frui, & gaudere, non permittens eos, vel eorum aliquem contra praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimifque super his habendis servatis processibus, censuras, & poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

latione postposita, compescendo, legitimifque super his habendis servatis processibus, censuras, & poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrarium derogat.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinibus, & Provinciae, ipsarumque Militiarum, & Ecclesiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, ac singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad effectum praemissorum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§.9. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus in iudicio, & extra fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum die 7. Februarii 1643. An. XX.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die septima Februarii 1643. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

Relatae Literae ad omnes Hispaniarum Provincias exte-
duntur.

§.10. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Paulus praesentibus nostras Literas hujusmodi cum omnibus in eis contentis ad alias omnes, & singulas Provincias eorumdem Fratrum Discalceatorum Hispaniarum hujusmodi, & quavis alias, quam in eisdem praesentibus literis expressas Militias extendi, ac aliis in praemissis opportune, ut infra, desideret provideri. Nos eundem Paulum, aliofque Fratres praedictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliiisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Pauli Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis: Praesentibus nostras literas pro dicta Provincia Sancti Gabrielis, ut praefertur, emanatas, ad omnes alias, & singulas Provincias eorumdem Fratrum Discalceatorum Hispaniarum hujusmodi, ac ad quavis alias, quam in eisdem praesentibus literis expressas Militias, ipsorumque Fratrum Discalceatorum hujusmodi Ecclesias, & Conventus,

tus, ut praefertur, aut aliis quomodolibet fundata in eisdem Provinciis, apostolica auctoritate tenore praesentium extendimus & ampliamus. Ac insuper quod omnes, & singulae Provinciae praedictae Hispaniarum Fratrum Discalceatorum hujusmodi comprehendantur, & participant de quibuscumque privilegiis, Literis Apostolicis, & decretis quovis modo cuivis ipsarum Provinciarum particulariter, & speciatim concessis, perinde ac si illa omnibus, & singulis Provinciis praedictis in genere circa hanc materiam concessa fuissent, indulgemus.

Mandatum de patendo.

§.11. Mandantes propterea omnibus, & singulis, ad quos pariter spectat, & pro tempore spectabit in futurum, ut eosdem Fratres Discalceatos omnium, & singularum aliarum Provinciarum Hispaniarum hujusmodi praemissorum omnium, & singulorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere sinant, & faciant, nec eos desuper a quoquam quavis auctoritate fungente molestari, perturbari, inquietari, vel impediri ullatenus permittant, ac decernentes praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, distisque Fratribus Discalceatis hujusmodi plenissime in omnibus, & per omnia suffragari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nuncios Apostolicos Literarum exequutores designat.

§.12. Quocirca dilecto filio eidem moderno, & pro tempore existenti nostro, & ejusdem Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio per praesentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios praesentes literas hujusmodi, & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum omnium, & singularum Provinciarum hujusmodi desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra easdem praesentes, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos eadem praesentes concernunt, illis pacifice frui, & gaudere. Non permittentes eos, vel eorum aliquem contra praesentium eorumdem tenorem quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimifque super his habendis servatis processibus, censuras, & poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

cato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantium derogatio.

§.13. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quae in dictis praesentibus literis volumus non obtare, & quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quarumvis Provinciarum, & Militarum, & Ecclesiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad effectum praemissorum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§.14. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio, adhibere adhibeatur, quae praesentibus ipsis & extractur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum die 4. Martii 1643. An. XX.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 4. Martii 1643. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXLIV.

Declarantur nulla depositio, amotio, seu absolutio Nicolai Rodulphi a Magisterio Generali Ordinis Praedicatorum, & electiones factae alterius Magistri Generalis.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. **E** Manarunt a Nobis Literae in forma Brevis sub Annulo Piscatoris tenoris subsequentes videlicet: Urbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam. Nuper a Nobis accepto: *reliqua invenies sub die 6. Dec. 1642. Anno XX. fol. 349.*

Referat Literas aliae hac super re datas: Vide n. 7. & 8.

§.2. Quarum Literarum, & aliarum in eis relatarum vigore, omnes praedicti S. R. E. Cardinales, & Praelati, ut praemittitur in eis deputati, auditis, ac visis omnibus deductis, & allegatis voce, & scripto super juribus, dictas partes tangentibus, & pluries nonnullis ejusdem Ordinis Provincialibus, etiam in pluribus Congregationibus, in quibus omnes praedicti deputati interfuerunt, ordinataque praedicta extrajudiciali monitione, illaque modo, & forma

Relationem; sibi factam a Judicibus deputatis.